



Patriarchatus Latinus- Ierusalem  
البطريركية اللاتينية الأورشليمية  
المكتب الليتورجي  
Officium Liturgicum

Die 16 Octobris

S. Longini, Militis et Martyris

Ant. ad introitum

cf Apoc 5, 9

**R**edemísti nos, Dómine, in sanguine tuo, ex omni tribu et lingua et pôpulo et natióne.

Collecta

Dómine Iesu Christe, qui dixisti:

«Si exaltátus fúero a terra, ómnia traham ad meipsum»:  
præsta quæsumus,  
ut per intercessiónem beáti Longíni Mártyris,  
tuæ circa nos pietatis semper víscola sentiámus.

Qui vívis.

LECTIO PRIOR

\*Videbunt in quem transfixerunt\*

Lectio libri Zacharíæ prophetæ

12, 10-11a; 13, 6-7

Hæc dicit Dóminus:

«Effúndam super domum David et super habitatòres Ierúsalem spíritum gratiæ et precum: et aspícient ad me. Quem confixerunt plangent quasi planctu super unigénitum, et dolébunt super eum ut doléri solet super primogénitum. In die illa magnus erit planctus in Ierúsalem».

Et dicétur ei: «Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum?» Et dicet: «His plagátus sum in domo eórum qui diligébant me». Pérçute pastórem et dispergéntur oves, et convértam manum meam contra párvulos».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 21,1 et 7. 8-9. 17c-18. 19-20 (R: 17c)

R. Fodérunt manus meas et pedes meos, et dinumerávi ómnia ossa mea.

1 Deus, Deus meus, quare me dereliquísti?  
Ego autem sum vermis, et non homo,  
oppróbrium hóminum et abiéctio plebis. R.

2 Omnes vidéntes me derisérunt me;  
torquéntes lábia movérunt caput:  
«Sperávit in Dómino, erípiat eum;  
salvum fáciat eum, quóniam vult eum». R.

3 Fodérunt manus meas et pedes meos,  
et dinumerávi ómnia ossa mea.  
Ipsi vero consideravérunt et inspexérunt me. R.

4 Divisérunt sibi vestiménta mea,  
et super vestem meam misérunt sortem.  
Tu autem, Dómine, ne elongáveris.  
fortitudo mea, ad adiuvándum me festína. R.

ALLELUIA

R. Alleluia    V. Facta sunt haec ut Scriptura impleatur:  
«Vidébunt in quem transfixérunt».

R. Allelúia.

EVANGELIUM (proprietary)

*«Unus militum lancea latus eius aperuit»*

† Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem                  19, 31-37

Iudæi, quóniam Parascéve erat, ut non remanérent in cruce cérpora sábbato, erat enim magnus dies illíus sábbati, rogavérunt Pilátum ut frangeréntur eórum crura et tolleréntur. Venérunt ergo mílités, et primi quidem fregérunt crura et al-térius qui crucifíxus est cum eo; ad Iesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum iam mórtuum, non fregérunt eius crura, sed unus militum láncea latus eius apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua.

Et qui vidit testimónium perhíbuit, et verum est eius testimónium, et ille scit quia vera dicit, ut et vos credáti. Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleatur: «Os non comminuétur eius», et iterum ália Scriptura dicit: «Vidébunt in quem transfixérunt».

Verbum Dómini.

*Super oblata*

Deus, qui Fílli tui sacrificio cunctum voluísti mundum salváre, per huius oblationis virtútem concéde, ut omnes ad cor apértum Salvatóris attrácti, iúgiter hauriámus e fóntibus salútis in gáudio. Per Christum.

*Praefatio*

- V. Dóminus vobiscum.  
R. Et cum spiritu tuo.  
V. Sursum corda.  
R. Habémus ad Dóminum.  
V. Gratias agámus Dómino Deo nostro.  
R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutáre, nos tibi, semper et ubique grátias ágere: Dómine, sancte Pater, omnípotens ætére Deus: per Christum, Dóminum nostrum.

Qui, mira carítate, exaltátus in cruce, pro nobis trádidit semetípsum, atque de transfíxo látere sanguinem fudit et aquam, ex quo manárent Ecclésiæ sacraménta, ut omnes, ad Cor apértum Salvatóris attrácti, iúgiter haurírent e fóntibus salútis in gáudio. Et ídeo, cum Sanctis et Angelis univérsis, te collaudámus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus...

*Ant. ad communionem*

Unus militum láncea latus eius apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua.

*Post communionem*

Deus, innocéntiae restitútor et amátor, dirige ad te corda servórum tuórum: ut, eucharístici convívii fortitúdine roboráti, et in fide inveniántur stábiles, et in ópere efficáces.

Per Christum.

Io 19, 34